



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

An euidens sit Deum esse vnum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

Deo dari distinctionem virtuales, probat etiam dari inter distincta virtualiter, ordinem virtuales. Etenim fundamentum distinctionis virtualis inter diuina attributa, est ipsa eminentia diuinæ naturæ æquipollentis multis perfectionibus actu distinctis: eadem autem eminentia diuinæ naturæ, æquipollet ordini actuali, intercedenti inter actu distincta; ergo idem fundamentum, quod in Deo probat distinctionem virtuales, probat etiam ordinem virtuales. Minorem ostendo: nam qua ratione diuina natura ob eminentiam suæ perfectionis æquipollet potentiaæ actuæ, intellectuæ, volitivæ, &c. actu distinctis in creaturis: eadem ratione æquipollet ordini actuali, inter huiusmodi perfectiones intercedenti; cum non sit maior ratio, cur potius æquipollet vni, quam alteri rationi. Confirmatur: nam Deus ob eminentiam suæ naturæ æquipollet cuiusque perfectioni creatæ: sed actualis ordo inter perfectiones creatas est aliqua perfectio: ergo illi æquipollet Deus. Vnde is ordo virtualis concipiendus est inter perfectiones increatas, qui realiter intercedit inter perfectiones creatas, & qui foret, si eadem attributa actu in Deo distinguerentur. Quorum ratio est, quia omnis ordo virtualis fundari debet in actuali, sicut omnis distinctio virtualis in distinctione actuali; quia, ut sæpè dictum est, omne quod est secundum quid in aliquo genere, fundari debet in eo, quod est simpliciter in eodem genere.

167. Ex dictis deducitur primò, ut priora concipienda esse attributa, quæ immediate essentiam consequuntur secundum rationem communem & indeterminatam, quam quæ

essentiam consequuntur secundum rationem particularem & determinatam, ut priora sunt vnitas, veritas, bonitas, immensitas, omnipotentia, quam intellectus, sapientia, idea, ars, voluntas, misericordia, iustitia, & reliquæ virtutes morales: quoniam illa essentiam consequuntur secundum rationem entis, quæ est ratio communis, & indeterminata: hæc verò essentiam consequuntur secundum rationem substantiæ intellectuales, quæ est ratio specifica & determinata. Et inter prima quinque, priora sunt vnitas, veritas, bonitas, quæ consequuntur rationem entis, analogice communis Deo & creaturis, quam postrema duo immensitas, & omnipotentia, quæ consequuntur rationem entis infiniti & increati. Inter postrema verò, quæ pertinent ad intellectum, sunt ut priora concipienda, quam quæ pertinent ad voluntatem. Proportionali modo Theologandum est de reliquis attributis, tam affirmatiuis, quam negatiuis.

168. Deducitur 2. Hanc virtuales distinctionem inter diuina attributa, esse sufficientem ad omnes demonstrationes propter Quid, quæ de Deo fiunt. Quoniam ad demonstrationem propter Quid, non est necesse, ut medium, quod in præmissis assumitur, sit actualis causa conclusionis, quæ per syllogisticam formam ex præmissis deducitur, sed sufficit, si sit tantum causa seu ratio virtualis: quia cum demonstratio fiat ad manifestandam aliquam veritatem intellectui, quam antea non cognoscebat, & sola causa seu ratio virtualis satis sit ad nouam veritatem intellectui manifestandam, eadem ipsa satis erit ad demonstrationem.

DISPUTATIO IV.

De Vnitate Dei.

SECTIO VNICA.

An evidens sit, Deum esse unum?



Post disputationem de attributis in communi, disputandum est de attributis in particulari, & primò de vnitate, quæ est prima entis proprietas, nullam præsupponens, & ab omnibus præsupposita. Est enim indiuisio entis in se, ad quam consequitur diuisio à quocunque alio: quam supponunt Veritas & Bonitas: quorum illa est conformitas rei ad intellectum, siue ad principia, quibus vnaquæque res intrinsecè petit constare, ut cum Aureolo in Metaphysicis docui: hæc autem vel dicit integritatem rei, si sit absoluta; vel conformitatem ad appetitum, si sit respectiua: Vtraque autem præsupponit indiuisiōem entis in se.

Aureolus.

1. **R**atio dubitandi est duplex, prima, quia multi ex Ethnicis existimarunt, plures esse Deos: ergo evidens non est, Deum esse unum. Secunda, quia sicut natura diuina subsistere potest in tribus personis distinctis, ita existere posset in tribus indiuiduis distinctis. His tamen non obstantibus,

2. Communis sententia Patrum & Scholasticorum est vnitatem Dei nō minùs, quam eius existentiam, euidenter demonstrari. Prima & potissima ratio demonstrationis desumitur ab ente per essentiam, hoc pacto: Euidens est, Deum esse ens per essentiam: atqui euidens est, ens per essentiam non posse mul-

tiplicari,

triplicari; ergo evidens est Deum esse vnum. Maior patet ex suprà disputatis. Minorem sic ostendo. Ens per essentiam claudit in se totum esse possibile: ergo nullum esse relinquit extra se: relinqueret autem aliquid esse extra se, si præter ipsum, alius Deus esset; prior consequentia patet. Minor subsumpta constat, quia relinqueret extra se illud esse, quod alius Deus à se distinctus haberet. Nam eò ipso, quod essent plures Dij naturà distincti, aliquid esse foret in vno, quod non foret in alio: cum nequeat vnus ab alia distingui, nisi per aliquid esse, quod dicit vna, & non dicit alia; quia nequit idem distingui à se ipso. Antecedens autem probò, nam ens per essentiam, est ens illimitatum ad omne esse, quod non inuoluit contradictionem; quia cum sit se ipso formaliter, & non ab alio efficienter, non poterit à se ipso excludere perfectius esse, quod posset in se ipso contineri: nam esse, quod non limitatur ab alio efficienter vel exemplariter, non poterit à se ipso limitari formaliter; tum quia non esset maior ratio, cur se limitaret ad tantum, & non ad maius, aut minus esse: tum quia esse, vt esse, non potest esse causa limitatiua sui. Non esset autem ens per essentiam illimitatum ad omne esse, quod non inuoluit contradictionem, si, præter ipsum, esset aliud ens per essentiam: quia non esset illimitatum ad illud esse, quod contineretur in alio ente per essentiam, quod posset in se ipso sine contradictione contineri.

3. Dices: esto illud esse, quod continetur in vno ente per essentiam, non implicaret simpliciter, implicaret tamen existere in alio ente per essentiam: ergo ex eo, quod tale ens non implicaret simpliciter, non bene colligitur, quod non implicaret existere in alio ente per essentiam: sicut non implicat triplex esse personale in eadem natura Diuina; cum tamen implicet, esse personale vnus formaliter contineri in esse personali alterius. Sed contra. Nam hoc ipso, quod supponeretur, tale esse non implicare simpliciter: euidenter deducitur, illud debere contineri in vno tantum ente per essentiam, & non diuidi in pluribus; tum quia non esset maior ratio, cur ens per essentiam diuideretur in duo, & non in plura, atque adeò in infinita, cum ex se non magis peteret multiplicari in tot, quam in plura. Tum quia sicut Ens per essentiam, est illimitatum quoad entitatem, ita & quoad vnitatem; nam hæc proportionaliter sequitur ad entitatem. Vnde Auerroes. 12. Metaph. text. 37. dixit, Deum esse *infinita nobilitatis & Unitatis*. Infinita autem & illimitata vnitatis excludit consortium plurium, in eadem natura generica, vel specifica existentium. Nec est eadem ratio de triplici esse Diuinum personarum; quia cum illud sit relatiuum, implicat esse vnus, formaliter contineri in esse alterius: esse autem vnus Dei esset absolutum, atque adeò non oppositum cum esse vt sic: ergo non implicaret totum esse formaliter contineri in vno ente per essentiam, quod essentialiter importat illimitationem ad omne esse simpliciter.

Auerroes.

De Deo Tom. I.

4. SECUNDA ratio demonstrationis desumitur ex perenni & constanti ordine huius Vniuersi. etenim si plures essent Dij, sese impedirent in ordine & gubernatione huius vniuersi, quia quod vellet vnus, respueretur alter; Vnde vel omnes essent æqualis virtutis, vel vnus excederet reliquos. Si primum; omnes in agendo se impedirent, ac proinde nullus sequeretur effectus. Secundum est contra naturam entis à se, quod sicut nullum agnoscit superiorem in essendo, ita nec in dignitate. Verum, quia posset quis fingere plures esse mundos, quorū cuiq; suus præsideret Deus. Contra hoc figmentū est, quoniam hoc ipso, quod vnusquisq; caret dominio aliorū mundorū, nō esset perfectissimus, quale debet esse ens à se. Hanc veritatem falsus est Aristot. 12. *Aristoteles*. Metaphysices in fine, vbi sic librum concludit: *At entia nolunt male gubernari. Non est bonum pluralitas principatū. Vnus ergo princeps.*

5. Obijcies. Vnitas limitat ens, ergo non potest competere Deo enti illimitato. Antecedens probatur, quia Vnitas distinguit vnum ab alio, ergo limitat, ne vnum sit aliud. Resp. distinguendo antecedens: limitat quoad perfectionem simpliciter, nego: limitat quoad perfectiones includentes imperfectionem, concedo, Deus enim non distinguitur à creaturis secundum imperfectionem simpliciter, quia continet illas eminenter; distinguitur autem secundum imperfectiones includentes imperfectionem, quas excludit formaliter. Distinguitur igitur à creaturis Deus formaliter, non autem eminenter; nam eminenter est omnia.

6. Ad Primam rationem dubitandi resp. illum fuisse errorem vulgi, non perpendentis viam demonstrationis, non autem Sapientum, qui vno ore omnes testati sunt Vnitatem Dei; quin per antonomasiam Deum appellabant Vnitatem.

7. Ad secundam, nego paritatem: nam plura supposita in eadē natura non multiplicant esse à se: vnum quippe est esse à se in tribus suppositis indiuiduum existens: at plura indiuidua multiplicarent esse à se, quia sicut multiplicarent naturas, ita & esse à se. Repugnant enim multiplicari naturas, nō multiplicato eo, quod est proprium naturæ. Igitur si multiplicaretur natura Diuina, multiplicaretur & esse à se quod est proprium naturæ Diuine. Tota autem ratio, cur repugnet pluralitas Deorum est, quia repugnant plura entia à se.

8. Ex his collige, Diuinas personas non esse plura, sed vnum indiuiduum, quia indiuiduationem non accipiunt à personalitatibus, sed à natura, quæ est vna indiuidua in tribus suppositis. Nec obstat, quod Diuine personæ distinguantur ad inuicem; quia non distinguuntur ratione aliqua absoluta, sed respectiua. Dices saltem multiplicantur tria esse à se relatiua. Resp. hoc nullum esse absurdum: quia hæc non faciunt tria esse simpliciter, sed vnum: quia omnia constituunt vnum esse perfectè subsistens.

9. Ex dictis deducitur, Vnitatem de formali nul-

F

li nul-

li nullam dicere perfectionem in Deo; de materiali autem importare maximam. Primum constat, quia Vnitas de formali importat indiuisiōem entis in se, & diuisiōem à quocunque alio, quæ sunt negationes: negatio autem, cum non affirmet aliquid de subiecto, sed potius neget, nullam de formali dicit perfectionem. Nec refert, quod indiuisio dicat

negationem diuisiōis entis in se, quæ formaliter est negatio; quia non negat diuisiōem ipsam entis formalem, sed fundamentalem: quo pacto non est negatio negationis, sed affirmationis. Secundum patet, quoniam de materiali Vnitas in Deo importat talem perfectionem, ratione cuius implicat in plures diuidi, quæ est maxima perfectio.

DISPVATIO V.

De simplicitate Dei.



Henricus.
Auerroes.

VNITATEM sequitur simplicitas, quæ teste Henrico in summa art. 28. q. 1. species quædam est perfectæ vnitatis: vnde Auerroës 12. Metaphysices text. 37. illam Deo tribuit post vnitate.

Duplex quippe est vnitas: altera, quæ opponitur multitudini, & comitem excludit eiusdem naturæ: altera, quæ opponitur multiplici parti partium componentium, & compositionem plurium respuit. Vnde omne simplex est vnum: non tamen omne vnum est simplex; quia vnum admittit compositionem plurium, quam excludit simplex. Duplex autem est in hac re difficultas, altera, an in Deo sit vel esse possit aliqua compositio: altera, an ipse venire possit in compositionem alterius.

SECTIO I.

An in Deo sit, vel esse possit aliqua compositio?

I. **D**VPLEX est compositio, realis, & rationalis. Prior adhuc est duplex, alia ex potentia obiectiua & esse, alia ex potentia subiectiua & actu, quæ quadruplex est, ex materia & forma, ex partibus integrantibus, ex natura & subsistentia, ex subiecto & accidente. Posterior etiam est duplex: alia, quæ consurgit ex solis perfectionibus, quæ sunt in ipsam Deum; alia quæ componitur ex ratione propria Dei, & alia communi Deo & creaturis. His adnotatis,

2. **D**ICO 1. Implicat in Deo compositio ex potentia obiectiua & esse, non solum re, sed etiam ratione. Prior pars claret, quia talis compositio supponit rem potuisse non esse; Nam ea dicuntur in potentia obiectiua, quæ ex se ipsa non sunt, possunt tamen esse vi alterius potentie, in cuius virtute continentur, & cuius vim, antequam sint, obiectiue terminant. Implicat autem Deum contineri potuisse in virtute alicuius potentie, cuius vim productiuam obiectiue terminasset, antequam esset: ergo. Posterior pars patet, quia implicat concipere rem sub opposito suæ essentie: atqui ef-

fectia Dei est ipsum esse seu existere: ergo implicat, etiam ratione, concipere Deum cum potentia obiectiua ad esse.

3. **D**ICO 2. Implicat in Deo quæcunque realis compositio ex partibus actu distinctis. Fundamentum est, quia omnis talis compositio supponit limitationem partium componentium: supponit enim, quod vna pars componens excludat à se perfectionem alterius partis componentis, atque adeo supponit illam limitatam ad esse tantum partis; nam propterea exigit vnionem compartis, quia caret perfectione illius, quam si haberet, exigere non posset. Implicat autem, vllam perfectionem Diuinam limitari ad vnum tantum genus perfectionis, & re ipsa excludere omnes alias perfectiones. Minor patet, quia omnis perfectio Diuina essentialiter est à se: ergo omnis perfectio Diuina est illimitata ad omnes perfectiones possibiles. Confirm. quia Deus est actus purus, cui repugnat omnis realis compositio: quia omnis realis compositio supponit potentiam passiuam, quæ opponitur actui puro: qui propterea purus dicitur, quia nullam admittit potentialitatem actui repugnantem.

4. **D**ICES: vna perfectio Diuina relatiua non includit alias perfectiones relatiuas: ergo non quælibet perfectio Diuina est illimitata ad omnes perfectiones possibiles. Resp. Distinguendo antecedens: non includit alias perfectiones relatiuas oppositas, concedo: non includit alias perfectiones relatiuas non oppositas, & simul absolutas omnes, nego. Nec est de perfectione relationis Diuinæ, includere formaliter oppositam relationem; quia per hanc formalem inclusionem tolleretur Trinitas personarum, atque adeo secunditas Diuinæ nature, quæ est perfectio maior. Omnis autem perfectio, quæ excludit perfectionem maiorem, implicat in Deo; quia Deus, ex dictis, est quod maius, excellentius quæ excogitari non potest. Est igitur de essentia cuiuslibet perfectionis Diuinæ, vt re ipsa non excludat perfectiones non oppositas: relatio autem, cum opponatur correlationi, non est de essentia earum, vt se mutuo includant. Est autem de essentia tam perfectionis absolute includere omnes & absolutas, & relatiuas, quam per-

fectionis